PROGRAMMA
PRÆFIGI
SOLITUM.

D. O.

SUB REVERENDISSI

AC AM

DOMINO

JOSEPHO HEN

BRAITEN

Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopo Antigo

S. C. M. Conſiliario, Metropolitanæ ad Divum Stepha

mi ac Celſiſſimi S. R. E. Cardinalis, S. R. I. Principis & Archi-Epi

ritualibus Vicario Generali & Officiali, nec non Celeberrimæ & A

PER PERILLUSTREM, MAGNIFICUM, S

DOMINUM

JOANNEM JACOBUM FR

AA. LL. Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, Sacra

dicum, & ad hunc honoris actum de

In Metropolitana Divi Stephani Anno reparatæ ſalut

8. matutinâ ſub pulſu Camp

DEIND

A PERILLUSTRI, MAGNIFICO, SPECTABILI, CLA

JOANNE ADAMO GERSTE

S. R. I. & R. Bohemiæ Equite ac Provinciali, AA. LL. Phil. & M

que Catholicæ Majeſtatis Conſiliario & Archiatr

In eadem Metropolitana ritu ſolemni, more inſtitutóque Ac

PERILLUSTRES, PRÆNOBILES, EXCELLENTES AC DOCTISSIMI

MEDICINÆ BAC



Ordine, quo primar

D. MARTINUS ANTONIUS FREUNDT de WEYENBERG, Auſtriacus Vien.

D. JOSEPHUS SABIZ de TAUBENSPERG, Liburnus Flumienſis.

D. JOANNES GEORGIUS PÆSMEYR, Bavarus Landishutanus.

PROBLEMATA à DD. NEO-DOCT

I. An terminus vitæ juxta illud Jobi cap. XIV. verſ. V. (conſtituiſti terminos ejus qui præteriri n

deroget, nec ne? II. An Medicina reſpectu aliarum ſcientiarum æqualia, an p

M. A.

MO, ILLUSTRISSIMO,

LISSIMO

DOMINO

RICO JACOBO

BüCHER,

ienſi, Philoſophiæ & SS. Theologiæ Doctore,
um Præpoſito, Decano Kirenbergenſi, Eminentiſſi-
pi Viennenſis Suffraganeo, & tam in Pontificalibus quàm Spi-
tiquiſſimæ Univerſitatis Viennenſis CANCELLARIO &c. &c.

ECTABILEM AC EXCELLENTISSIMUM

DOMINUM

UNDT DE WEYENBERG,

Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtatis Aulæ Me-
gnatum PRO-CANCELLARIUM,
MDCCXXXVII. Menſis Novembris die 13. horâ
æ majoris licentiâ donati,

VERO

SSIMO AC EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO

R NOBILI DE GERSTORFF,

Doctore, Profeſſore Publico Emerito, ſacræ Cæſareæ Regiæ-
& Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. DECANO
nico ſupremâ MEDICINÆ LAUREA condecorati ſunt.

MINI AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRI, SALUBERRIMÆ AUREI FORMATI,

Lauream adepti ſunt:

D. ANTONIUS HAUZINGER, Auſtriacus Viennenſis.
D. ANTONIUS JOSEPHUS MARHERR, Auſtriacus Viennenſis.
D. MATTHÆUS JUSCHIZ, Auſtriacus Wilfferſtorffenſis.



LIBUS IN ACTU DISCUTIENDA.

oterunt) neceſſitati, utilitati & nobilitati Medicinæ tam in præſervando, quàm curando morbo
ra ſubminiſtret argumenta naturalia atheiſmum improbandi, & convincendi?

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

ACTUS
INAUGURALIS
MEDICUS

SEU

Promotio ſex Medicinæ Doctorum

In Divi Stephani Proto-Martyris Metropolitana

CORAM

Senatu Populóque Academico,

Excellentiſsimo, Reverendiſsimo, Illuſtriſsimo, ac Ampliſſimo

AUDITORIO

PROMOTORE

JOANNE ADAMO GERSTER,

Nobili de Gerſtorff,

S. R. I. & R. Bohemiæ Equiti, ac Provinciali, AA. LL. Phil. & Med. Doctore, Profeſſore Publicô emeritô, Sac. Cæſ. Reg. Cath. Majeſtatis Conſiliario & Archiatro, Inclytæ Facultatis Medicæ p. t.

DECANO.

Die XIII. Novembris Anno MDCC. XXXVII.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Mariæ Thereſiæ Voigtin, Viduæ Univerſ. Typogr.

ALLOCUTIO PRÆSENTATORIA,

CORAM

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC AMPLISSIMO DOMINO

UNIVERSITATIS CANCELLARIO

PRO

CANCELLIS

aperiendis habita.

QUam coram vides *Reverendiſſime, Illuſtriſſime ac Ampliſſime Domine, DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcope Antigonienſis, Philoſophiæ & SS. Theologiæ Doctor, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarie, Metropolitanæ ad Divum Stephanum Præpoſite, Decane Kirenbergenſis, Eminentiſſimi ac Celſiſſimi S.*

R. E. Cardinalis, S. R. I. Principis & Archi-Epiſcopi Viennenſis Suffraganee, & tam in Pontificalibus quàm Spiritualibus Vicarie Generalis & Officialis, nec non Celeberrimæ hujus Univerſitatis Cancellarie, quam inquam vides in quatuor Facultates diviſam & ex his congregatam Univerſitatem. Hæ unà mecum omnes & ſinguli, præſentes ſex ſaluberrimæ Medicinæ Baccalaureos formatos, & pro Suprema Laurea Candidatos eâ, quà par eſt, devotione Tibi repræſentant. Tibi inquam Antiquiſſimæ ac Celeberrimæ hujus Univerſitatis Cancellario Magnifico, qui hac dignitate & prærogativâ Pontificiis ac Cæſareis Privilegiis decoratus perfulges, & teſte Majbonio in orat: de origine Cancellarii Academici in hoc eminentiori officio es conſtitutus: in quo nullus ad ſupremum in ſtudio generali capeſſendos gradus virtutis & Doctrinæ ornamenta pervenire poteſt, niſi priùs de integritate vitæ anteactæ, moribúsque, & matura eruditione Cancellarii Edocti authoritas accedat & conſenſus, ísque palam declaratus fuerit, & auditus. Quo ſapientiſſimo inſtituto, ſicut Ordinis Scholaſtici dignitas, & æſtimatio mirificè augetur, & floret, ita fructu emolumentorum neutiquam caret. Tales fructus ex hac plantatione Medica præſentium D. D. Candidatorum uberrimos ſibi pollicetur Inclyta Facultas: Quorum vitæ genus in virtutis ſtudio, & præclaris ingeniis dotibus nobis ſatis cognitum eſt, & exploratum, qui tam in theoria, quàm praxi Medica cum indefeſſa induſtria ſolida poſuerunt fundamenta, qui non nociva & præcipiti feſtinatione ad apicem honoris in ſtudio Medico volarunt, ſed per legitimos gradus in ordine aſſequendos more ſolito & rigoroſo ſatis maturè aſcenderunt. Qui integro ſexennio & ultra purioris Doctrinæ Medicæ Fundamentis fuerunt imbuti, & innutriti & tam inſignes in curſu ſuo fecerunt profectus ut digniſſimi judicati ſint, ſupremis in Medicina honoribus conferendis.

Qua.

Quapropter Inclyta Facultas Medica hoc virtutis & eruditionis teſtimonio (quod maturo & digeſto Conſilio conceptum fuit) præſentes D. D. Candidatos Comitari voluit, ut eò luculentiùs ad ſupremam Medicinæ Lauream Cancelli paterent. Nec enim aliud morum tuorum ſanctitas in votis habet nisì pietatem & religionem ſervantiſſimis gratificari. Nîl aliud ſumma tua prudentia, & rebus Academicis gerendis juſtitia jubet, quàm ut benè meritos conſolari nunquam detrectes. Quid demum aliud officium tuum Magnificum expetit, nisì, ut Antiquiſſima ac Celeberrima Univerſitas Viennenſis reliquarum in Germania Academicarum Mater & Princeps ſub actibus publicis continuato ordine floreat, & indies glorioſior evadat. Fave proinde *Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Domine* Cancellarie prævisis his meritis præſentibus Dominis Candidatis, & aperi illis præſtitis præſtandis Cancellos tam duro labore & aſſiduo ſtudio quæſitos. Hæc enim eſt mea & Inclytæ Facultatis Medicæ debita repræſentatio, ſupplicantium vero Dominorum Candidatorum ſunt ardentiſſima vota: quibus impetratis hos tibi reddes æternùm obſtrictiſſimos, Inclytam verò Facultatem Medicam aliunde multis titulis Tibi devotam, facies ex integro Tuam eámque devotiſſimam.

D I X I.

(o)

ORATIO PROMOTORIS

DE

Neceſſitate Medicinæ & Medici.

UNus ſupra triginta annos, ſi benè memini, jam jam vertitur, à quo ego in hac Antiquiſſima ac Celeberrima Univerſitate Viennenſi, coram ampliſſimo litteratorum conſeſſu hac ipſa in Baſilica ſuprema Doctoratûs Laurea condecoratus fui. Felix inde augurium capere vos video, & ſpirantem in oculis veſtris lætitiam obſervo, dum tritum illud cordibus veſtris inditum, & inter prima naturæ inſcriptum pro vobis perorat: *Quod tibi vis fieri, alteri facias.* Atque hoc eſt, quod hodie animos veſtros occupat, ſollicitóſque tenet. Legiſtis forſan, ut opinor, illud Eccleſiaſtis cap. 38. *Honora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus, & à Rege accipiet donationem.* Et ideò ex tot ſcientiis medicam elegiſtis, ac huic tot annos & ſudores conſecrâſtis; fors collecti ſcientiæ veſtræ theſauri auream vobis praxim blandiuntur, qnam tamen vereor, ne calamitoſo hoc tempore ſecùs audiat. An ignoratis, quod ingens ſit numerus hominum, qui Conſilium Eccleſiaſtis imprudenter reſpuunt, & honoris loco, quem Medicinæ & Medico debent, convicia & calumnias eructant. An non audiviſtis eos, qui tam Authoritate Sacræ Scripturæ, quam ratione, & experientia convicti, Medicinam in rerum natura quidem dari fatentur, de illa autem ſcientiam exiſtere inane commentum putant, quia in hac tot opiniones, & conjecturæ reperiuntur, quot medicorum ſectæ & diſſenſus numerantur. Quibus indies falluntur, & morbi non niſi vel ab ipſa natura, vel ſola tempo-

po-

poris mora, & expectatione, aut fortuitò curantur, quaſi nihil habentes ſcientifici, ſed; ad mentem plinii, *aliorum tantum periculis diſcunt, & experimenta per mortes agunt.*

Quam ſtolidam cæcitatem meritò deplorat Angelus Politianus lib. 2do. in Epiſtola ad Nicolaum Læonicæum ita ſcripta: *Doleo, inquit, generis humani vicem, quod in ſe graſſari tam impunem inſcitiam patiatur, atque ab his vitæ ſpem precio emat, unde certiſſima mors proficiſcitur, quis non videt, plus eſſe à medico, quam morbo periculi, ſiquidem & morbus alius pro alio curatur, atque alia præ aliis remedia afferuntur.* Hæc ùt ùt ardua, quantum aſſequor, adeò animos veſtros non frangunt, neque vos deterrent à glorioſo veſtro inſtituto, quin potiùs Promotionem Doctoralem inſtantiùs urgeant. Omni ævo, ut ſolet invidia ſuos habuit inſidiatores Medicina: verùm nefario illorum molimini non tantum ponderis, rationísque, ſubeſt, quantum in rebus medicis imprudentes & maleferiati ſibi ſumunt audaciæ. Et licet ſatis malignè invehantur in artem medicam, qui eos tanquam Numinis oſores & atheos calumniantur. His audacter reſpondemus: ſi cæteræ ſcientiæ DEUM ſilerent, fidem cogeret Medicina, Creatorémque palam profiteretur.

At quid tandem detrimenti temerarius ejusmodi auſus arti Medicæ hactenus intulit, an propterea obſcurior, & non potiùs illuſtrior evaſit? an idcircò minus anxiè in morbis aut quæritur, aut exoptatur Medicina. Neque mirùm hoc videri debet, DEUM enim ipſum meruit habere authorem; *qui creavit de terra Medicinam & vir prudens non abhorrebit eam.* Conformiter his ſacris litteris loquitur S. Aug. lib. de civ. DEI. *Corporis Medicina ſi altius originem inquiris, non invenies, unde ad homines manare potuerit, niſi à DEO, cui rerum omnium ſtatus ſalúsque eſt tribuenda:* qua-

prop-

propter Medici olim divinis honoribus fuerunt decorati, quaſi non humanam, ſed cœleſtem ſcientiam poſſiderent, quod neque ipſos Ethnicos latuiſſe, fidem faciunt verba Quintiliani ita diſſerentis: *Medicinæ authores ante omnia accepimus DEOS, ut infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua, atque ſolatia, quæ vix credimus humanis potuiſſe ingeniis inveniri, ipſámque Medicinam per ſe ſacram eſſe non dubitamus*, nullum enim eſt hominum genus, nullus civitatis ordo, nullus ſexus, nulla ætas, quæ non utilitatem ex Medicina petat. Sed non tantum ad utilitatem, verùm ùt dicitur lib: ſapientiæ: ad neceſſitatem creata eſt Medicina, quâ læſum hominis corpus poſt lapſum fragile, & caducum, quod natura ſanare non poteſt, curaret. In hujus teſtimonium, præter ſacrum codicem, ubi plurimis in locis Medicina *ingens DEI donum* commendatur, innumeræ extant veterum hiſtoriæ, quæ inſignia encomia Medicinæ tribuunt, tanquam non æternæ quidem, ſed quam diutiſſimæ hominum vitæ conſervatrici, inniquum enim eſſet à Medicina immortalitatem deſiderare, eíque mortalitatis exitum imputare.

Porro ſi vel tantillum adhuc ſanæ rationis ſupereſſet Medicinæ Calumniatoribus, & non omnem ejus uſum ademiſſet malitiæ ſtudium, quàm non grato animo ſcientiæ hujus neceſſitatem nobiſcum agnoſcerent, ac illa Hypocratis verba auro digniſſima cenſerent: *multos ægros ſanari ſine medicis, neminem ſine medicina.* Si ergo permultas res ſola commendat antiquitas, medicam artem primam omnium reperit neceſſitas, ſi ſcientiam authores illuſtrant, hujus inventio DEO attributa eſt, ſi quid authoritatis addit honos, non alia tam paſſim, ac tam diu divinos honores meruit, ſi magna fiunt, quæ ſummis viris probantur, hæc ſummos Reges, hæc Principes non ſolum delectavit, verùm

rùm etiam illuſtravit, ſi difficilia quæ ſunt, ea ſunt & pulchra, nihil hac operioſiùs, quæ tot diſciplinis tantorúmque rerum perveſtigatione, uſúque conſtat, ſi dignitate rem æſtimamus, quid excellentiùs, quàm ad DEI benignitatem proxime accedere, ſi facultate, quid potentius, aut efficatiùs, quam totum hominem, certo exitio periturum, ſibi poſſe reſtituere, ſi neceſſitate, quid æquè neceſſarium, quam id, ſine quo nec vivere, nec naſci licet, ſi virtute quid honeſtiùs, quam ſervare genus humanum, ſi utilitate nullius uſus, neque major, neque latius patet; ſi, compendio, aut ars medica imprimis neceſſaria ſit opportet, aut ingratiſſimi mortales.

Quemadmodum autem medicina non ſemper ab authore ſuo ipſo DEO immediate & per ſe, aut medicatrice natura operatur, ſed re quadam inſtrumentaria intermedia cum cauſarum naturalium admotione perficitur, ita hoc ſalutare DEI beneficium (per cujus manus venit) non alii quam medico debetur proinde DEUS medicum honorare præcipit, quia opera ejus ſunt neceſſaria, & ipſa remedia à ſe creata non abhorrere voluit ſapientes, ſi enim juxta galenum medicamenta manus DEI ſunt, quidni medici manu DEI operantes Dy erunt.

Quod benè perpendentes varii mundi Monarchæ ac reipublicæ Rectores, medicos tot privilegiis, honoribus & donis condecorare conati ſunt, ut impleatur, quod ſcriptum eſt libro ſapientiæ, *diſciplina medici exultabit caput illius, & à Rege accipiet donationem & in conſpectu magnatum collaudabitur, ſalus enim hominis.* Amiano Marcellino dictante lib. 14. *nullo beneficio penſari poteſt*; quis autem magis, aut proficit unquam, aut prodeſſe potuit, quam qui vitam, ſalutémque ſervavit.

Artem igitur medicam prout omnium nobiliſſimam, ita uno cum medico, quem creavit altiſſimus, omnium eſſe neceſſariam me brevibus dixiſſe ſufficiat, quam neceſſitatem, & quaſi dictatorium medicorum authoritatem ultro confirmat, & Sacra Theologia, & Jurisprudentia: notiſſimum enim eſt, quod ad horum conſilia & reſponſa Theologi, & jurisconſulti ſæpiſſimè decreta ſua faciant, iísque auſcultent & ſe conforment.

Medicum autem, quem DEUS creavit, non illum appello, qui titulo & nomine tantum eſt medicus, principia vero artis adeò ignorat, ut nulla in homine temperamenti, ſexûs, nulla conſuetudinis & habitus corporis, nulla temporis ratione, remedium quod uni, vel alteri proficit, ad quosvis promiſcuè accommodat, unóque calipodio omnes calceare præſumit, neque illud perditorum genus è fece ſceleratorum conflatum pro medicis habeo, qui dum ſe medicos mentiuntur, morborum curationem nequaquam pollicentur, aut dum unum morborum genus depellere nituntur, plura & graviora inducunt, ſed illum re ipſa medicum dico, cui juxta Eccleſiaſten agnitio rerum naturalium eſt tributa, *dedit hominibus illorum ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis*; quapropter ab ipſomet DEO gradum accipiunt, dum eos honorare propter neceſſitatem præcipit. Illum etiam medicis adnumero, qui in principiis phyſicis, botanicis, anatomicis, chymicis, pathalogicis, & practicis &c. ſolida poſuit fundamenta, qui cauſas vitæ, ſanitatis & morborum, rerum ſalubrium & inſalubrium, ſalubrium illationes, & concluſiones rite diſcernere didicit, & morborum vires per remediorum naturam deprehendit, & ſic humano corpori poſt lapſum Adami mille miſeriis obnoxio omninò adminiculo eſſe poteſt. Denique illum medicis honoribus digniſſimum cen-

cenſeo: qui in ſtudio generali ceu Univerſitatibus publicis per tot annos innumeris Exercitiis Scholaſticis, examinibus lucubrationibus, diſputationibus ita fuit tentatus, ut & publicè approbari, & promoveri meritus fuerit.

Tales medicos, quales creavit Altiſſimus vos hodie intueor Domini licentiati, qui in prælaudatis fundamentis tot præclara dediſtis ſpecimina, ut temperare mihi nequeam, quin veſtram indefeſſam induſtriam, & in diſcendo ordinem, ac per legitimos gradus conſecutos honores hic publicè collaudem. Ad momi enim lucernam expoſiti effeciſtis, ut veſtri etiam adverſarii de vobis meliùs audiant, & propter ſcientiam veſtram ſtudiosè receptam Inclyta vos Facultas medica Doctoralis Laurea digniſſimos judicaverit.

Sicut ergo honor virtutis comes eſt, ac præmia Academica per ſtudia peti, & aquiri ſolent: quibus ſelectiora ingenia exornantur, ita mox veſtrorum Votorum vos compotes reddam, ſi ſolitò priùs juramento vos obſtrinxeritis ſervare ea, quæ præleget Pedellus.

Hic prælegitur Juramentum.

PRæſtitis itáque, quæ præſtanda erant Ego Joannes Adamus Gerſter Nobilis de Gerſtorff, S. R. I. & R. Bohem: Eques, ac Provincialis, AA. LL. Phil; & Medic. Doctor, Profeſſor Publicus emeritus, Sac. Cæſ. Cath. Majeſtatis Conſiliarius & Archiater, nec non Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. Decanus Authoritate Pontificiâ & Cæſareâ, more inſtitutóque Academico vos Perilluſtres, Prænobiles, Excellentes ac Doctiſſimos Dominos AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtros, nec non Saluberrimæ Medicinæ Licentiatos formatos, pronuntiatos, ac declaratos, & qui-

 dem

dem te &c. vos inquam, omnes & ſingulos in ſaluberrimæ Medicinæ Doctores facio, creóque, atque taliter factos, creatósque in celeberrimo & ampliſſimo hoc conſeſſu palam enuntio ac declaro, licentiam vobis tribuens Doctoralem cathedram conſcendendi, de Medicina diſputandi, docendi, gloſſandi, & interpretandi, omnibus iis privilegiis, immunitatibus, & prærogativis gaudendi & fruendi, quibus hæc Celeberrima Univerſitas, & omnes in univerſo terrarum orbe gaudent & fruuntur; quod cedat ad DEI optimi maximi gloriam, Beatiſſimæ ſine originali labe conceptæ Virginis, Divorum Tutelarium Coſmæ & Damiani, omniúmque Sanctorum Medicorum honorem, & ſempiternam memoriam, Celeberrimæ & Antiquiſſimæ hujus Univerſitatis majus decus & incrementum, nec non reipublicæ Chriſtianæ ſalutem & emolumentum.

In Nomine DEI Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

SUrgite nunc Neo-Doctores, & in teſſeram collatæ dignitatis condigna veſtro Characteri capeſſite inſignia.

Ad Epomidem.

IN diſputatione inaugurali de habitu Germanorum antiquo, & ſtructura corporis ævi moderni ab uno veſtrum actum, quod olim germani levi brevíque indumento uſi fuerint, nudatis maxime artubus inceſſerint, ut ipſa aëris aſperitate magis indurentur, ac robuſtiores evadant, & ſic ad bellica, aliáque exercitia magis eſſent expediti. Hodie veſtris humeris pallium ſapientiæ impono, eósque tego, non ut ad habitum Germanorum comparandum impedimento ſit, ſed potiùs ſpecioſum hoc ſyr-

ſyrma, veſtrâ induſtriâ & ſudore comparatum inſtar veli deſideria veſtra promoveat & facilitet. De reliquo pro monito habeatis, quodſi ad curandos ægros vocandi eritis, nullius excuſationis pallio vobis moram imponatis: præſertim ſatagite, ne ob veſtram culpam alii induere cogantur longa illa, gravia & pullata pallia, quorum uſus eſt in in funerum deductione.

Ad Pileum.

SIgnum honoris præcipui vobis defero, dum pileum Doctoralem capitibus veſtris impono, quo non tàm tegitur, quàm apertiùs univerſim manifeſtatur veſtrorum capitum ac ingeniorum præcellentia, eſt hic pileus biretum, quali ſacerdotes utuntur, quia ùt Theophilus Raymundus tractatu de pileo Seſſ. 7ma. refert, docti & Doctores ab antiquis pares habebantur Sacerdotibus. Certum ſi Sacerdotum eſt divina facere, Medici procul dubio Sacerdotes ſunt, qui dum vitam conferunt, ac non rarò propè mortuos reſuſcitant, rem divinam facere negari non poteſt. Nolite autem exiſtimare, quod, cum Sacerdotes ſitis, identidem à vobis immolandæ ſint victimæ, aut frequentes habendæ miſſæ de requiem.

Ad Librum Clauſum.

EN clariſſimi Domini Neo - Doctores librum clauſum! quisnam ille ſit divinate? ne multùm ſuſpenſos teneam, divinus codex eſt, & antiquum Teſtamentum Hypocratis. Falſum me vobis dixiſſe, non quidem vos, ſed forſan quiſpiam alius opinabitur, humana, inquiet, artis Medicæ principia complectitur, tam parùm pro divino jactandus, ut potiùs cum ſua arte damnari ac inter libros pro-

 hi-

hibitos reijci mereatur: Etenim verò liber hic dicet porrò, pugnat adversùs illum librum decretorium in quo DEUS ab æterno, lege omnino immobili ſuum cuique terminum vitæ, nulla proin Medicorum opera immutandum præſcripſit. Verùm dum DEUS hac non minùs in re, quàm aliis plurimis humanam cooperationem deſiderat, vaniſſima objectio eſt, in primo problemmate paulò poſt plenè confundenda. Aliud addo, ut divinum eſſe magis conſtet, non eo quidem utor argumento, quod ipſa ars à Diis & Aopolline præſertim ex gentilium perſuaſione inventa dicatur (quamvis procul dubio ſingulari DEI beneficio humano generi indulta, ac primo noſtro parenti inſpirata ſit) ſed quod eadem ars ad probandam DEI exiſtentiam adverſus Atheos potiora aliis ſcientiis argumenta naturalia ſubminiſtret, id quod in 2do problebate oſtendi poſſet, ſi tempus & conſuetudo ferret. Dicam paucis, liber iſte eſt antiquum teſtamentum Hypocratis. Vos cavete, ne patientes veſtros adigatis ad condenda multa nova teſtamenta.

Ad Librum Apertum,

Librum hunc apertum dum oculis veſtris exhibeo, profunda mihi in mentem venit Apocal: Joann: 10. vidit is Angelum habentem in manu ſua librum apertum, tunc audivit quoque vocem de cœlo dicentem ſibi, vade & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper terram. Abeunti ergo Joanni petenti dixit Angelus, accipe librum & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. En Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores, & ego pro tempore indignus Angelus, in manu mea librum circumfero, ſed notum nî falor omnibus, perutilem certè ſingulis. Si vocem quoque ex alto hoc ſubſellio, in quo poſiti ſumus, tanquam de cœlo audire

dire cupitis, hortor, rogo & obſecro vos, accipite hunc librum, & devorate illum, amaricari quidem faciet ventres veſtros, ſed curato morbo erit in ore veſtro dulce tanquam mel. Quoniam liber hìc ſalutaria illa remedia docet, ad quorum uſum plurimis ſervanda, & recuperanda ſalus vita in longiùs ævum protrahenda eſt. In hoc ſenſu non immeritò liber iſte vocandus eſt liber vitæ, & divinæ prædeſtinationis. Quod ſi verò librum hunc devorare renuatis, eveniet vobis idem, quod illis, qui poſtquam patientes ab omni morbo liberârunt, deinde ùt boni Chriſtiani requiem æternam precantur, dicentes: fidelium animæ, quibus nos non pepercimus, ſaltem per miſericordiam DEI requieſcant in pace.

Ad Torquem.

INtellexiſtis ex inaugurali oratione quanto in pretio à ſummis etiam Principibus ſemper habita, quantíſque ſæpè numero præmiis honorata fuerit ars medica, proinde dat Galenus opes, ſed opus etiam eſt, ut opem feratis, absque arato ſegetem non ſperetis, nec aurum absque labore. Neque infandum eorum morem jam à vobis in una veſtrum diſputatione damnatum tenete: qui ſpe lucri, vel externo reſpectu quodam non ex juſta cauſa atteſtata impertiuntur ad evincendam diſpenſationem in jejunio. Medici ſitis licèt, homines tamen eſtis, ſubjecti infirmitatibus, quidnî & malignæ febri, quæ juxta Sanctum Ambroſium avaritia eſt, ab hac febri vos alios, ſi alii vos eximent. Si Capitis verbô.

Fac ægrum cures, aurum tibi porriget æger.
Sic morbum pellos illius, ille tuum.

Ad

Ad Annulum.

EN annulum vobis porigo, quin & cuivis digito pro perpetua hujus memoria libens inſero, æternitatis hìc index eſt & ſymbolum. Vobis tamen incitamento eſſe non debet, ut homines transmittatis ad æternitatem. Annulus quoque ad contrahenda ſponſalia de futuro aptiſſimum vinculum eſt, quam quivis veſtrum ſibi ſponſam elegerit aut brevi electurus ſit, ignoro. Duas ego Matronas ſcirem, pias, perhoneſtas, & divites, Perpetua vocatur una, Felicitas altera, ita tamen ſociatas invicem, ut neque hæc ſine illa, neque illa ſine hac eſſe velit, aut poſſit. Quid vobis videtur? placentne? unum obſtat, nec unus veſtrum duas, nec hæ duæ unum aut plures veſtrum habere poſſunt propter polygamiam. Sed tamen qnid anceps hæreo, apprehendent ſeptem mulieres virum unum, ut ait Iſaias cap. 4. n. 1. cur non & ſex Doctores Medicinæ unam Matronam? benè eſt, ego altiori hodie poteſtate præditus in Nomine Domini circa hoc impedimentum vobiſcum diſpenſo, & dico, apprehendite vos ſex Medicinæ Domini Doctores duas, aut unam potiùs mulierem, non aliam tamen, niſi, quam vobis deſpondeo: perpetuam felicitatem.

Ad Amplexum.

DEcantata eſt orbi antiqua Germana fides, hodie ſicut uno orè jam ſummè frigida & glaciata, jam maximè calida ſumi ſolent, adversùs quem abuſum in una veſtrum diſputatione egiſtis, ita, ut ab uno ore mox frigida, mox calida, & maximè contraria procedere conſueverunt quare ut pura illa ſimplicitas fidésque paſſim ſit antiquata, nec prorſus exulet, ego ſanè rectiſſima fide germana vos complector,

plector, & hortor, ægros complectamini, qua ratione dum imprimis eorum animos quò faciliùs dein quoque corpus erigatis.

Ad Seſſionem.

CApeſſenda vobis Doctoralis Cathedræ poſſeſſio eſt conſidete mecum. Sed vita ſedentaria maximè molli otio torpentes vel gulæ dediti, morbis plurimis obnoxii ſunt, qua de re una ex veſtris diſputationibus inſtituta eſt. Qui cavere vult, ne valetudine laboret, identidem laboret exercitio quodam corporis. Nolim ergo vos longiori utpote otio & noxia Seſſione detinere. Inquirite proinde in diſcrepantium hominum ſenſus dudum jam multorum animos occupantes.

An terminus vitæ (juxta illud Joc: c. 14. vers: 5. Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt) præjudicet neceſſitati, utilitati, & nobilitati Medicinæ, tàm in præſervando, quàm curando morbo.

Unam partem hujus Problematis aſſumat Excellentiſſimus Dominus Doctor Sabiz de Taubenſperg, alteram verò Excellentiſſimus Dominus Doctor Freundt de Weyenberg ſolidis argumentis dilucidare conabitur.

(o)

C PRO-

PROBLEMA.
PRO PARTE PRIMA.
Perorat.
D. SABIZ.

DUm tecum hodie Domine Neo- Doctor adverſarie in arenam de triplici eáque longe glorioſiſſima artis Medicæ prærogativa, neceſſitate ſcilicet ejus, utilitate, ac nobilitate diſceptaturus deſcendo, rem mihi video, negotiúmque non tecum modò, ſed opinione plurimorum mortalium, cum primis, iíſque celeberrimis, ac omni ex parte maximis Medicinæ Factoribus, quin cum ipſa prope arte ſaluberrima eſſe. Quid enim? an non communis omnium ſenſus ei prærogativas haſce dudum indulget? an non his ipſis ex capitibus omnium ore celebratur! an quem ullus obicem? an rationem unam aliquam, quâ triplicis hujus gloriæ ſplendor quaqua demum ex parte infirmaretur, unquam adinvenit? vitæ nimirùm ſalutíſque vindex ars Medica ubique audit, morborum ac mortis exitium præſentiſſimum, ſpes, ſalus, incolumitas univerſorum. Et ſanè, non morborum ei perplexa diverſitas, non multitudo, non aſperitas, non malignitas aut vis ulla detrahere poteſt, ejúſque famam elevare. Morborum enim alios præcavet, antequam vel ipſi ſeſe inſinuent, & providentia inaudita! ipſos malorum fontes, radices ipſos nobiſcum perſæpè natas evellit; alias, ubi ſtravêre corpus, atque ad extrema perduxêre, felicibûs alexipharmacîs, in vitam repentè ac vigorem priſtinum reſtituit, mortíſque ipſius (ùt vulgus dicere amat) è faucibus eripit, extorquet.

Quam-

Quamquam quid ego mortem commemoravi amens? quando hæc ſola eſt, quâ nominatâ omnis extemplô Medicinæ laus & præſtantia concidit & evaneſcit. Sit hoc profectò, & jure merito ſit dictionis adversùm te meæ argumentum. Mortem dico, terminum illum vitæ, qui (ut Jobi quartô decimô habemus) præteriri non poteſt, multùm neceſſitatem artis ſaluberrimæ, atque hoc primô locô, multùm utilitatem, hoc alterô; multùm denique nobilitatem, hoc poſtremò commonſtraturus ſum, infringere. Quibus ex capitibus dictionis meæ illud, antequam perorem, confecturus ſum: habere quidem, cur ſe extollat, peritiam Medicam, habere, cur ſe artibus, ſcientiíſque pluribus anteponendam contendat, verùm ubi fati ſupremi mentio inciderit, non ſecùs atque Pompeji, ubi de Pharſalico loquimur, omnem gloriam obſcurari. Vos hìc AA. illud unum obteſtor, ut dicentem, quâ ſoliti aliàs eſtis, benevolentiâ ſuſtineatis.

Neceſſitatem artis Medicæ ſi quo ex capite palam facere juberet, hanc mihi potiſſimùm argumentandi methodum adhibendam cenſerem. Morbi nobis ac crebra mortis pericula neceſſaria ſunt, atque congenita, igitur & artes, morbos hos, hæc pericula quà præcavendo, quà diſpellendo eludendi neceſſe habemus. Verùm proh quàm levi impetu, quàm obviis argumentis tota hæc machina, atque Achilles hic evertitur, diſturbatur! quid enim? an non neceſſitati huic, quam adſertis, rectè illam oppoſiturus ſum, cujus, dum dicere occiperem, memini, neceſſitatem inquam ex hac vita abeundi. Morbi nobis neceſſarii ſunt, eſt & mors: adde quòd evitare morbos omnes quis poſſit, mortem nemo; quæ igitur neceſſitas? quæ indigentia ineluctabilis artis medendi? ut ne greſſum mors

acceleret? ut ne ætatis in flore nos demetat? ut ne occupet proſternere, antequam animo collibitum fuerit noſtro? ſed quorſum hæc omnia? ſi quemadmodum falcem mortis evitare minimè poſſumus, ita horæ quoque fatali, quæ in ſupremo Numinis animo pridem ſtatuta eſt, ſupervivere nequimus, Enimverò da mihi adverſarie ex omni retrò ætate Galenum unum aliquem, aut Hypocratem, qui fatalem alicui horam vel ad minimum temporis ſpatium produxerit; da, qui quartam horæ partem vitæ alicujus vel ex ſua adjecerit; da, qui profligaverit, qui in aliud reverti tempus juſſerit vitæ terminum jam præſentem. Erunt nolim id ire inficias, erunt inquam magno numero quos exhibeatis, qui falcem mortis (ùt ii quidem arbitrabantur) jam jugulo hærentem retinuerunt; ſed quid id aliud erat, niſi quod tempus illud extremum, quo vitâ fungi oportebat, nondum advenerit. Erunt, qui ſuæ deberi ſolertiæ unius, alteriúsve longævam incolumitatem aſſerent, qui medicaminibus ſuis præſervantibus annos ſe ætati alicujus complures adjeciſſe jactabunt; verùm ſi rem omnem diſquiramus accuratiùs, nihil eos aliud præſtitiſſe comperiemus, atque quod ficti in arena pugiles aſſolent, dum necem, quæ adventura nequaquam erat, ſolerti manu evitant.

Quæ dum dico, illud tibi quoque effugium interclusum volo, quod de morbis ipſis ſeu præcavendis eſt, ſeu diſpellendis. Nam quod de diſpellendis attinet, quæ eſt regio inter Chriſticolas tam impia atque ſacrilega, quæ non multitudinem innumerorum prompta recenſeat eorum, qui vi prodigioſa à morbis ſuis convaluerunt, quin tamen exinde apud unum aliquem vis thaumaturga neceſſaria audiret. De præcavendis verò, quoniam ſermo incidit, illud oro atque obſecro AA. mente repetite attentiùs, quàm ſit momenti exigui præcavere morbum aliquem, quando mors ipſa, quæ eſt ſcopus morborum omnium, præcaveri non

va-

valet. Ad hæc quid eſt quæſo illud, quod præcavendo ægrotationem ars Medica præſtat? nimirum humores, ais, malignos ejicit, corpus omne atque animum ad peragendum munus ſuum aptius reddit. Verùm an non id ipſum morbus, ſi eum operari libuiſſet, acturus erat? quemadmodum enim ideò bella cientur, ideò commiſcentur armis regiones atque provinciæ, ut poſt furores iſtos lætior orbi pax reſtituatur, ſic morbus quoque eò à parente rerum natura ordinatus eſt, ut ejectô, quod nocuum erat, firmas vires, priſtinámque valetudinem reſtituat. Neque eſt jam cur dolores morbi, & plumeos (ſi poëtæ mihi eſſe licet) carceres oggeros: Intendam enim ego, ſi his congredi armis cæperimus, intendam inquam ego digitum in potiones amariſſimos, in familiare Medicis abſynthium, ferrum & ignem, qùo ipſi etiam ſæpenumero uti jubent, commemorabo. Quibus efficiam, non ei modò, qui nihil adverſi horret, atque aſperi, ſed iis etiam, qui dolores omnes acerrimè execrantur, nullam eſſe Medicæ artis neceſſitatem.

Verum ut ut opus ea non ſit, utilitatem certè ejus non exiguam eſſe omnes contendunt; à quorum ego opinione nè latum quidem unguem abhorrerem, niſi ſupremum rursùs fatum in mentem veniret. Hujus verò, dum recordor, non poſſum, ſalvam eſſe cauſam meam, non exclamare; quem enim quæſo fructum? quod emolumentum oſtendere habes ex arte medendi? poſteaquam quidquid ea præſtiterit, mors elevat; quidquid redintegravit, confringit; quidquid ædificavit, dejicit; quidquid quæſtûs peperit, diſſipat. Aut ſiquidem ita arbitraris, compello, per me licet, eodem jure utilem mortem, quia à morbis omnibus liberos reddit; die è re bellatoris eſſe fugam, quia vulneribus, morte ipſa, pericu-

líſque ejus ſubeundæ compluribus liberat; expedire contende naufragium paſſo viventem ſpirantémque in monſtri alicujus marini ventre tumulari, propterea quod non ſit porrò, cur timeat, ne undis ſuffocetur. Animadvertitis, niſi vehementer fallor AA. quò mea tendat oratio, hoc ajo unum arti Medicæ, quò minùs utilis omni ex parte nominetur, officere, quòd mortem à corpore propulſare omninò non queat; qua in cauſa illius opportunè memini, quod de Alexandro Macedone ſeneca ait: res enim ejus geſtas ſingulas magna ſententiarum amplitudine extollens paucîs, quæ ſubnectit, verbîs ita elevat, ut nihil omnino magni feciſſe Princeps tot judicibus maximus videatur. Quæſt. Natural: L. 6. C. 23. Hoc eſt, inquit ille, Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet; nam quoties quis dixerit: occidit Perſarum multa millia, opponetur & Calliſthenem, quoties dictum erit, occidit Darium Perſarum Monarcham, ac regno exuit, opponetur & Calliſthenem, quoties dictum erit, omnia oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit, dicetur: Sed Calliſthenem occidit. Omnia licèt antiqua Ducum, Regúmque exempla tranſierit, nihil tam magnum erit, quàm ſcelus Calliſthenis, quod omnem anteactæ vitæ gloriam obliteravit. Jam verò, quid vetat, quin eadem ego prorſus eloquentia in te utar adverſarie, aut potiùs extollenti tibi Medicinæ fructus atque commoda fatum continuò ſupremum oggerem, utpote quod labores Medicinæ omnes, omnem operam, ſudorem, ſtudium fructu ſuo fruſtratur. Quæ dum mente repeto attentiùs, atque invicem oppono, ita victas mihi manus daturus vel ante pugnæ exitum videris, ut ſuperſedendum mihi argumentis pluribus omninò ducam; poſſem ſiquidem (niſi tempus me ac tertia dictionis, quam ſpopondi, pars

mo-

morarentur) oſtendere quàm ſit nulla in eo, quod amiſſuri aliquando ſumus, utilitas; poſſem Numinis altiſſimi (unde in nos morbi) prævertere imperium, idque demum fructuoſum eſſe, commonſtrare, quod ab hoc abludit quàm minimè; poſſem poſtremò verè non minùs ac ſpeciosè detrimentum præ emolumento, quod è Medicina in nos ob inſtantem certò certiùs mortem redundat, explicare; ſiquidem pharmacis complurimi non curantibus modò, verùm etiam ægritudinem præcaventibus præſiſi, ut erratorum ſuorum, quibus magnas ſæpè apud inferos pœnas ſunt commeriti, cum dolore meminerint, ut ſubductis ad vitam ſecuturam rationibus eſſe occipiant, induci non poſſunt.

Hæc ego omnia adverſarie ſciens, ac prudens prætereo, illúdque nunc unum contendo, quod ſi alteri etiam nulli artis Medicæ prærogativæ mors officeret, nobilitatem ùt minimum ejus nimium quantum infirmam reddat, atque obſcuram. Nihil enim eſt ignobilius, atque quod animum hominis ignobilem reddit, hoc verò per Medicinam fieri ita palam facturus ſum, ut nullum ſim dubitationi alicujus locum relicturus. Vos modò AA. Philoſopho, quem ſupra de Calliſthene diſſerentem audîſtis, aures rurſus advertite, ait enim pluribus in locis, imo verò hoc prope unum locis omnibus inculcat, nihil efficere animum æque nobilem atque mortis contemptus & læta expectatio efficit, nihil æque ignobilem, ùt metus ejus ac horror. Rurſus ille aliàs rem puſillam ait morbi, ferrum & ignes aufferunt, nimirùm vitam hominis, qua excedere in libertatem abire eſt; jam igitur ſi (ùt compertum omnino habemus omnes) aliud nihil eſt, unde Medicina celebris reddi queat, atque hoc, quod animorum mortem timentium metum ſpe ſanitatis quodam quaſi modo nutriat

ac

ac proferat, ſi ab alio niſi ab abjecti pectoris homine laudem nullam ea refert; quid dubitamus porrò, quid ambigimus Medicinam artem eſſe, quæ emollit animos, atque ignobiles reddit. Quare dicite (non impugnabo) ſpem vitæ eſſe Medicinam, ſed videte atque animadvertite, nè hoc ipsô encomiô ejus nobilitati derogetis. Si enim ſpes vitæ eſt, ſpes eſt rei puſillæ, ſpem verò rei puſillæ quis eſſe aliquid nobile niſi amens dixerit. Quæ ſingula licèt ita certa ſint atque indubitata, ut quæ maximè ratione tamen ulteriore ea ſtabilire idcirco non deſiſto, ut abjiciat aliquando adverſarius meus animum orationíque meæ, vel antequam ipſe dixerit, aſſentiatur. Et verò quid magis à laude nobilitatis alienum? atque ea emendatum ire ac præpedire, quæ ita eſſe Numen voluit. Videte quæſo AA. quæ ſit artis Medicæ, ſi cum morte conferatur, nobilitas? obiri DEus mortem à ſingulis mortalium certa aliqua ac ineluctabili hora voluit, ars Medica mortem à corporibus avertere omni opera contendit. Quid porrò nobile, quid eximium erit, DEum immortalem! ſi hoc eſt, quid inquam nobile erit, ſi temeritas, ſi audacia, ſi aperta adversùs Numen obtrectatio nobilitas appellatur. Pythagorei olim eum qui ad verba: ipſe (id eſt Pythagoras) dixit, vocem animúmque non compoſuiſſet, indignum ſua conſortione arbitrabantur, tu adverſarie artem medendi, quæ non verbîs modô ſed factis, ſed præcavendo, ſed curando Numini palam adverſatur, etiam nobilem vis audire.

Itaque gaudeat quidem gaudium ſuum ars Medica, & gloriam ſuam latè oſtentet ac propaget, ſed ubi mortis aliquando memoria refricata fuerit, quæ quidem ob oculos nobis ſemper eſt, neque neceſſariam ſe, neque utilem, neque ulla nobilitatis prærogativa inſignem confiteatur, neque decorum aut nobile emollire mortalium animos, ac ſummi Regis imperio ſe opponere. Tu verò adverſarie noli homi-

minum opinionem in medium adducere, noli communi omnium ſenſu pro vero uti, ſiquidem abjecti eſſe animi eos, qui ita ſentiunt, antehac docui. Pugna ſi potes rationibus unde unde petitis, pugna virorum; quos magnitudo animi à vulgo ſecernit, authoritate, his ſi viceris, non tam opinione tua, quàm veritate ſtabo.

D I X I.

RPO PARTE SECUNDA.

Perorat.

D. FREUNDT.

Feliciter admodum & opportunè contigit, ut, dum hodie benè de arte Medica meriti ſuprema ejusdem laurea donantur, ab antagoniſta meo (qui quantum dicendi licentiam rationibus anteposuerit, ipſi intellexiſtis) querela illa ac labes, quæ pridem ab imperitis & neſcio quibus maledicis arti noſtræ appingitur, refricaretur. Quantumvis enim diem nobis hucusque maledicentiſſimi illi mortales non dixerint, accidit tamen, ut venenum hoc, quod ad eam diem iisdem, quibus innatum erat, in ingeniis delituit, in aliorum quoque aures effunderetur, periculúmque videremur certò certiùs honoris noſtri adituri, niſi experientia nos quotidiana, atque ampliſſima in omnis ordinis homines beneficia ab omni infamia vindicarent. Sed utcunque res habeat, illud mihi vehementer gratulor, quod inſpectatiſſimo hoc honoris con-

D ſeſ-

ſeſſu ſeſe obtulerit occaſio, opinionem iſthanc ex omnium animis ita evellendi, ut inſeramus alteram ei prorſus adverſam, nimirum quòd à vitæ termino nulli hominum eluctabili nihil neceſſitas Medicinæ, nihil utilitas, nihil denique nobilitas capiat detrimenti. Sinite me hoc loco AA. ſingula, quo propoſui ordine, exequi, erit opinor, ùt eò vobis gratior accidat oratio, quò manifeſtius commonſtraturus ſum, quàm exigui fuerint argumenta omnia, quæ adverſarium meum attuliſſe memini, ponderis ac momenti.

Atque ut inde, unde ille exorſus eſt, ego quoque ordiar; illud rectè omninò atque conſentaneè præfatus es Domine Neo-Doctor adverſarie, quod neceſſitas artis Medicæ ex morborum, mortíſque periculorum neceſſitate potiſſimum deducatur atque officiatur. Sed leve nimirum tibi iſthoc videtur argumentum, propterea quòd mors quoque nobis neceſſaria ſit. Quod dum propugnâſti, neceſſitatem mihi omnem alteri in extremo quodam diſcrimine conſtituto ſubveniendi ſuſtuliſſe viſus es. Quid enim? ſi quis ſtricto pugione ab hoſtibus impetatur; ſi quis ne undâ ſuffocetur, periculum adeat; ſi quis ſub collabentium ruinis murorum vivens tumuletur; nulláne tunc erit neceſſitas mortem à corpore avertendi? at aliquando moriturus eſt, at nulla eſt neceſſitas ejus, quod amiſſuri ſumus? ita tecum ſanè illi ſentiunt, qui de re, quam prima ſolùm fronte ſunt intuiti, ſententiam dicere minimè ambigunt. Quod ſi verò judices hi tam præcipites cauſas rerum atque adjuncta penitiùs inſpicerent, aliter eſſent dubio procul omni pronuntiaturi. Atque ſi hæc tibi adverſarie minùs videntur veritati conſentanea, ſi in ea adhuc, quam tuendam ſuſcepiſti, opinione perſiſtis, finge te rapaciſſimis Iſtri undis auferri, finge adeſſe coram non paucos, qui tibi levi negotio ferre poſſint ſuppetias; quid ages? quid conſilii capies?

por-

profectò, ſi rectè novi mortalium, qui vitæ ſuæ prodigi (quali eſſe nemini licet) non ſunt animos, advocaturus es voce magna ac lugubri circumſtantes, periculum, in quo verſeris, verbîs ampliſſimîs exaggeraturus es, fletúque ac gemitu eos in auxilium coacturus. Sed finge porrò, quoniam tantô ſtudiô rationi huic inhæſiſti, finge ſurdis te omnia canere auribus, quem preces ad te tuæ advertant, omninò neminem reperiri. Etenim mandatum tunc Summi Numinis in medium adduces, quo nulla major dari poteſt neceſſitas, atque ita demum habebo te vel invitum & imprudentem ſententiæ meæ adſtipulatorem.

At nempe alio me hìc adverſarius Achille impetit; nihil ait Medicos, niſi quod ficti in arena pugiles ſolent, præſtare. Quid verò ità? ſi mortis tempus hoc ſtatutum eſt, inquit, ægro, vel ante oculos medici obiturus eſt; ſin minus, etiam abſente medico non oppetet. Quod cum non ſine rancore adverſus cæcam hanc ratiocinandi methodum audirem, venit mihi continuò in mentem, quid ipſe hæc proferens orator, ſi in agone mortis eum hac ſuper re loqui oporteret, dicturus eſſet; ſed prætermittendum mihi hanc reſpondendi rationem vel ideò ratus ſum, ut ne haberet adverſarius, cur opponat, opinionem me meam non niſi experientia ac communi hominum ſenſu tueri. Itaque illud vos hìc volo AA. animadvertere, quod Numen ipſum termini vitæ nobis ſtatuti nullatenus ignarum valetudinem nos noſtram conſervare jubeat, ac tueri. Quod niſi eſſet, quid quæſo vetaret, quò minus omnis vitæ ſuæ pertæſus ita ſecum tacitus argumentetur: vitam mihi ferrô ereptum eo, neque tamen ullo modo in leges Divinas ſum peccaturus, ſi enim ipſum tempus, quo me oppetere DEUS vult, nondum advenit, vel adacto in pectus pugione ſupervicturus ſum; ſi verò illud adeſt, voluntati ipſi-

 us,

us, qui nutu regit omnia, etiam hoc agendo obſecundabo. Jam verò, ſi quis ita arbitratur, eum nemo ſcelere abſolvet; neque erit uſpiam judex tibi adeò propitiùs, qui tuam loquendi audaciam rectam audeat pronuntiare.

Atque hæc porrò ipſa cauſa eſt, ob quam vehementer dubitavi, facturusne ſim operæ pretium, ſi ad alterum, quod de prodigiis attuliſti, reſpondeam; arbitrabar ſiquidem hereô me quodam ac contemnente hæc oggeſta tua ſilentiô, vel ſi tacuero, triumphaturum. Sed novi nimirum eorum, qui exiguîs, quemadmodum adverſarius meus, nituntur fundamentîs, animos; ſi quid diluere, qui reſpondet, dedignatur, id omninò dilui non potuiſſe criminantur. Idcirco ut ne ſit quidem materies, unde vel calumniam in me poſſis contexere, illud mihi quoque refutandum promptus aſſumo. Prodigiis, ais, morbi propulſantar; neque tamen ea propter prodigiorum eſt ulla neceſſitas. Rectè habet, ſed quâ tu quæſo, exinde audacia ſic arguis: igitur nec ars medica, morbos licèt propulſare ſoleat, neceſſaria erit. An enim ignoras aliam eſſe medellam, quam natura ſuppeditat, aliam, quæ à prodigiis accerſitur, illa neceſſaria eſſe poteſt, hæc ſi neceſſaria eſſet, prodigioſa eſſe non poſſet; quid enim aliud eſt prodigium? atque quod præter neceſſitatem omnem, imò verò etiam præter ſupráque naturam accidit. Quare cum Numen, quod morbis mortales affligit, modos quoque nobis à natura noſtra nihil omninò abhorrentes commonſtraverit, quibus adhibitis noſtræ reſtitui poſſimus valetudini, non eſt, cur prodigia ſpe temeraria operiamur. Enimverò animantia ipſa rationis expertia hoc te in negotio edocere poſſunt, illa enim, quæ, quidquid agunt, ad finem ſuum congruè agunt, ita à natura comparata ſunt, ut, ubi primum ſiniſtrè habere cæperint, ad remedia con-

tinuò

tinuò confugiant, ſibíque ipſis medeantur. Non illa, quod hìc tu citra rationem conſulebas, non inquam illa expectant, ut morbus ipſe humores attemperet, non ut lætior ſalus invaletudine ſuperata accidat; eſt nimirum è re noſtra, quin neceſſarium eſt, morbos à corpore avertere, an enim, niſi venientes occupes, nôſti, quantum ii temporis tibi ſubrepturi ſint? an nôſti, ſintné te in vivis relicturi? an nôſti, ſisné ab iis unquam in vitam valetudinémque reſtituendus? quod ſi hæc minimè nôſti, ſi præterea metuendum tibi eſt, ne, ſi eos admiſeris, omnis tibi deinceps vita ſine fructu ullo decurrat, quid inficiaris porrò neceſſitatem artis medicæ? quid ſolis lucem temerarius negas.

Quibus ex capitibus illud quoque conficio, quòd neque utilitati artis medendi quidpiam poſſit terminus vitæ derogare. Nam ſi iis, quæ hic attuliſti, locus foret, eſſent quoque per te inutiles artes omnes & ſcientiæ, ſiquidem, quidquid eæ demum præſtiterint, quidquid quæſtûs pepererint, mors diſſipat ac diſpergit. I tumulos perluſtra adverſarie, roga ex magni Alexandri, quem hìc adduxiſti, cineribus, qua oporteat ratione exercitum aliquem collocare, quô expediat dolô hoſtes circumvenire, qua parte impetum facere quibûs urbes, valláque artibûs propugnare. Mors nimirum in hoc etiam, quidquid erat ſcientiæ, quidquid artis bellicæ, exſtinxit, & quam arti medicæ, eandem ſcientiis omninò omnibus ruinam minitatur. Nihil utilitatis eſſe ais in eo, quod perpetuum non eſt; quid igitur utile hoc in orbe terrarum futurum eſt, cùm quidquid oculis in eo noſtris ſubjectum eſt, fatali eidem legi ſit ſubordinatum? ſi enim ea ſolùm è re noſtra eſſe arbitraris, quæ finem neſciunt, æternúmque nos felices redditura ſunt, rectè tu quidem à medendi arte omnem tollis utilitatem, ſed nimirum ab omni

quoque arte eam, ab omni ſcientia tollas, neceſſum eſt; ſi verò illas nihilominus utiles & perquam utiles, quod ſanus nemo negaverit, eſſe aſſeris, eò quòd vitam ipſam vel lætiorem, vel proſperiorem faciant; cur non idem de arte quoque ſaluberrima proferamus, quæ lætam, quæ felicem, quæ incolumem noſtram nobis reddit mortalitatem?

Enimverò illud vos A A. jubeo exactiùs examinare, quod ars nobis ſaluberrima aditum etiam ad æternæ vitæ gaudia tutum efficiat; quoties enim accidit, ut nonnulli amore illo pertinaci auræ vitalis excæcati nulla ratione induci queant, ut ſe ad iter illud, quod iterari omninò evitaríque nequit, comparent? cogitationem eam tanquam peſtem vitæ præſentiſſimam execrentur, horreant deteſtentur; atque niſi hoc adeò periculoſo tempore ſolers medici eloquentia & ſedulitas ſubveniat, niſi is, quin ſacratiora continuò adhibeantur medicamina, ſuam etiam operam deſpondeat, ſequetur, quod non rarò majores noſtri deflebant, ut nullîs procurati ſacrîs, nulla erratorum ſuorum pœnitudine expiati complures ex hac vita diſcedant; ſi autem, ùt hodiedum fieri gaudemus, periculi præſentis à medico æger commonefiat, ſequitur, ut is, niſi de utróq; ſimul vita periclitari velit, animum cogatur ad Divina adjicere, ſibíque ipſi prudens conſulere.

Jam verò (videte AA. quousque ſe malevolorum adverſus nos audacia porrigat) nobilitatem etiam noſtram nobis denegare aggrediuntur, molles nos, vitámque nimiùm amantes criminantur. Verùm quàm id à veritate abhorreat, inde intelligite, quòd viri non moralis modò ſed etiam Sacræ Philoſophiæ peritiſſimi, ubi in morbos inciderant, medicaminibus adhibitis valetudini ſuæ conſulere non erubuerint. Præterquam enim, quòd Divos ambos

Coſ-

Coſmam, Damianúmque artis noſtræ principes reveremur, ſeneca ad Lucilium ſuum ſcribens remedia ei complura adversùs morbos exhibet; quibus & ſe ipſum aliàs uſum fuiſſe ingenuè confitetur; plures horum ſi commemorarem, quid aliud præſtarem, atque is, qui mortuum jugulat, aut qui rem omnibus manifeſtam dictione ſua evincere contendit? quare in eos Philoſophus Cordubenſis eam, quam recenſueras abjecti animi contumeliam jactam voluit, qui ita ſeſe vitæ huic totos affigunt, ut tremant omninò mortem, paveántque, qui verò ita conſtituti ſunt, ut non timeant quidem vitæ terminum, eum tamen ipſi non affectent, hos non ſolùm non contemnendos, ſed laude etiam dignos, ſed etiam immitandos ſibi duxit.

Hoc ſi turpe, ſi animi excelſa non attingentis indicium eſt, dic eſſe, per me licet, abjecti animi tot ſummos Pontifices, qui vitam proferre medicamentorum ope conati ſunt; dic tot Imperatores, Reges, Monarchas qui adeò hoc ſibi dedecori non habent, ut etiam proprios quosdam artis ſaluberrimæ peritos ubique ſecum circumducant, eósque honeſtiſſimo loco habeant; dic tot ordines religioſiſſimos ſanctitate, ſcientiáque ſingulari inſignes, apud quos lege cautum eſt, ut ne valetudinis ſuæ curam aliquando deponant, ſed, ubi primum in ægrotationem inciderint, medici operâ utantur; dic demum etiam Oratorum Principem Tullium minùs glorioſè de tot viris ſummis ſenſiſſe, cùm ad eos ſcribens ſubjunxit: valetudinem tuam cura diligenter, cura ut valeas, atque alia ſexcenta his affinia.

Verùm fac adverſarie, fac nunc demùm abeſſe artem medendi, fac qui præſervet, fac qui curet valetudinem, neminem unum reperiri. Quæ tunc quæſo calamitas? quis horror omnia obtinebit? an erit, putas, unus aliquis, qui de-

dolorum innumerorum expers corpus circumferat? an erit, qui vitam ad longiorem ætatem proferat? an non quaſi ſine lege & Rege omnia peſſumibunt? quare ſi hîs carere incommodîs, hacce communi perturbatione liberum eſſe, maximè orbi univerſo glorioſum eſt, quidni glorioſiſſimum erit ei arti, cujus induſtriâ accidit, ut iîs mundus liberetur? neque verò Arbiter univerſi hujus DEus ita nobis mortem certam ſtatuit, ut nolit remedia adhiberi ulla, ſed quod in aliis ſæpè rebus peritiſſimi Theologi adferunt, hac nos conditione ulteriùs vivere ſuſtinet, ſi medicamentîs congruîs uſi nimirum fuerimus; quaſi dixiſſet: trigeſimum ætatis annum Alexander Macedo, ſi herbîs, quibûs veneni vim mitiget, ſibi conſuluiſſet, ſuperabit; niſi conſuluerit, non ſuperaturus.

Itaque liceat mihi per vos AA. in fine dictionis meæ, ita neceſſariam dicere artem medicam, ut ſine ea ſumma ſit vaſtitas regionum, provinciarúmque pertimeſcenda; ita utilem, ut quidquid lætitiæ, quidquid proſperitatis in hoc orbe experimur, ei in acceptis referendum ſit; ita denique nobilem ac glorioſam, ut vitæ ſpes, ut ægrorum incolumitas, ut ſalus, ut tutela, omnium meritò poſſit appellari. Nominate mortem, eam quidem finem ſuum ars ſaluberrima agnoſcet, quòd tamen lenire eam, quòd propulſare non raró, quòd impedire, quòd prohibere valeat, liberè edicet.

Tu demum Perilluſtris, Magnifice, Spectabilis Domine Decane, idémque Promotor ſapientiſſime! pro ea, qua es erga artem de orbe univerſo optimè meritam, benevolentia; pro ſapientia tua, qua inter pugnantes opiniones verum adinvenire optimè aſſoles; pro magnitudine nominis tui, quod à proſtratis tot morbis ipſe hactenus lucu-

len-

lentiſſimè retuliſti; pro expectatione denique ornatiſſimi hujus conſeſsûs pro eo, qui rationum ponderibus vicit, pronuntia, ut ab alterutro triumphus canatur.

D I X I.

Deciſio.

DExtrè ambo, diſertè quivis pro ſua ſententia peroráſtis Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores, ambobus debitus honor, quem dicendo retuliſtis, competit, judicium verò, quod à me rogâſtis paucis exponam. DEUS quidem ab æterno, lege omnino immobili ſuum cuique terminum præſcripſit, ſed hac non minus in re, quam aliis plurimis humanam cooperationem deſiderat, ut vulgare prorſus exemplum in medium adferam, quamvis æterno DEI ſtatuto vitæ meta ſingulis poſita ſit, nemo tamen alimentorum ſumptionem pro ſuſtentatione vitæ ſupervacaneam aut divinæ legi injurioſam cenſet, vel negligit: cum ipſe DEUS quando ſuos vitæ dies & annos præfixit, ſimul conſtituit, ut mediantibus alimentis eò usque porrigatur. Hoc ipſum de medicamentis (niſi quod ad hæc peculiari arte, ac peritia opus ſit) eſto judicium, unde recte poëta:

Te decet ipſe juves, vita ut ſervetur edendum eſt.

Sic etiam ſæpe vita ut ſervetur medendum eſt. Ut autem non tantum humanis & vulgaribus rationibus, verùm & divino oraculo me ſtare demonſtrem: teſtem appello Eccleſiaſten, ubi DEUS præcepit honorare medicum, quia opera ejus ſunt neceſſaria, creavit item DEUS de terra medicinam & ſapiens non abhorrebit eam. Quibus ſacris litteris totum diſceptationis caput eſt explicatum.

ADHORTATIO.

Ad Gratiarum Actiones.

CUm beneficiorum memoria ſit confeſſio gratiarum, ſupereſt jam vobis Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores, ut omnium primo, DEO, cui noſtrarum actionum momenta debemus, & in quem omnium ratio gratiáque redundat, laudes dicamus. Tum omnibus, ut obſervantiæ magnitudo reſpondeat beneficio vobis collato, debitâ, qua decet, animi conteſtatione grates perſolvite. Atque ita honorificum hunc Actum ſolennis coronet finis.

Ad DEum & Cælites.

D. FREUNDT.

AD mare flumina, ad ſolem flores venerabundo ſemper vertice reſpiciunt; quare & Tibi Triuno & Uni Trino naturæ Authori, Reparatori & Directori nos Neo-Creati naturæ miniſtri grates reddimus immortales: Tibi enim SS. Trias debemus noſtros lauro cinctos vertices, Tibi florebunt in ſempiternas laudes, & in frontibus ſuis palam geſtare cupient Gloriam & Honorem Tuum. Poſt Regi Regum dicatas gratias ſecundas Tibi debemus perfectionum omnium Gloria & Compendium Virgo ſine macula! Te Medicorum ſalutem ſupplici corde veneramur: neſcit enim ægrorum ſaluti proſpicere, qui Te ſalutem infirmorum neſcit, Tu toties à mille adverſitatum paſſionibus liberâſti animos noſtros, Tui favore Medicæ ſcientiæ penetralia ſubivimus, par ita que eſt, ut

ut Tibi mille gratiîs fæcundiſſimæ omne noſtrum ſtudium devoveamus. Vobis denique Purpuratis Anargyris Divi COSMA & DAMIANE! cum ſancta Cohorte Medica purpuratos has ſubſternimus epomides, Vos laureos Veſtros pro Chriſti fide proprio tinxiſtis ſanguine, nos pariter Lauream & ſanguinem noſtrum honoribus Veſtris conſecramus, enixè rogantes: recondite nos ſub Veſtro præſidio, impetrate apud DEum ter O. M. ut ad erigendas mortalium ſpes, ad reſtituendam ægris ſalutem ſalutaria quæque adinvenire valeamus.

Ad Auguſtiſſimos Fundatorum manes,

D. SABIZ.

POſt DEum ſapientiæ Authorem ad ſcientiarum fundatores mea & noſtrûm omnium ſe convertit pietas, ſi enim perennem in nobis ad cor ſeu fontem vivum ſuum in vita conſervat curſum unda ſanguinis, æquum ſanè, piúmque eſt, imò & debitum, ut nos etiam in hac celeberrima Univerſitate nutriti virtutibus & arte Medica imbuti ejusdémque Laurô condecorati, ad originem, ad fontem, à quo ſcaturiit noſtra ſcientia, ad magnos Magnorum Cæſarum Manes, ad Sereniſſimas Archiducum Auſtriacorum Umbras convertamur, atque unusquisque noſtrûm dignos tantis Nominibus, tantísque gratiis gratias perſolvat. Igitur Vobis ô terreſtria olim Numina ſcientiarum Authores & Factores! ſtudia noſtra, labores hos ſupremos, & quidquid litteratæ eſt vitæ, in acceptis referimus, dicamus, & conſecramus, gratésque quàm ampliſſimos pro immortali beneficio rependimus; atque dum æternos in poſteritate Veſtra Anguſtiſſima In-

clytæ Facultatis, totiúsque Univerſitatis noſtræ Fundatores & Conſervatores continuò exoptamus, æternum illnd & litteratum orbi noſtro collatum beneficium æterna quoque gratitudine, devotione, & memoria proſequemur.

Ad Auguſtiſſimos Carolum & Eliſabetham.

D. PÆSMEYR.

Quod modô Auguſtiſſimis Celeberrimæ Univerſitatis hujus Fundatoribus perſolutum eſt tributum, id certè pari jure perſolvendum eſt Clementiſſimis ac Vigilantiſſimis ejusdem Propagatoribus. Vobis nempe Auguſtiſſimæ Majeſtates Cæſareæ, Sacratiſſime, ac Inviĉtiſſime Carole & Eliſabetha Auguſta, Vobis enim imperantibus dimicavimus, Vobis clementiſſimè Lauros indulgentibus hodiè hoc in honoris Theatro triumphamus, & triumphamus gloriosè; ſiquidem Lauri noſtræ dimidium cum Jove Cæſar habes. Sed quid in tantæ Clementiæ Veſtræ anathema ſtatuamus, quid in debitum gratiarum offeramus cenſum? non aptior ſuppetit alius, niſi ut Lauros has, queîs per Auguſtiſſimam Clementiam Veſtram gloriamur, ut purpuras has, quibûs Veſtris ſub Auſpiciis nitemns, nosmet ipſos ùt hoſtias vivas, non fucatas ſed ſinceras, ſed fideles in bonum Patriæ ad Auguſtos pedes veſtros litantes precemur ſuperos, ut imperium ſine fine datum, ſine fine vireſcat.

Ad

Ad Magnificum Dominum Rectorem, & Proceres Univerſitatis.

D. HAUZINGER.

TUa nunc Perilluſtris ac Magnifice Domine Univerſitatis Rector Amplitudo noſtram imbecillitatem, nec non veſtra Proceres conſpicui Authoritas tenuitatem admonet debitæ in vos gratitudinis, & obſervantiæ; tantò magis, quantò cumulatiùs veſtra in nos propenſio eſt effuſa. Vobis in acceptis referimus, quòd ſpes tandem noſtra non futilis, quòd vota non inania, quòd cynoſura, ad quam unicè conſequendam totum noſtrum laborem & induſtriam, conatus, & ſudores dreximus, vobîs annuentibûs attingi ſit conceſſa; ergò quorum tanta in nos exſtitit propenſio, noſtra quoquè debita gratitudo in pignus obſervantiæ ſeſe patefaciat eſt neceſſe. Quare cùm vos ſoli noſtros miſerati labores eſtis, nos verò pro meritis præmia digna ferre non valeamus, libamus, quas poſſumus, animo vobis honoris pateras, & fidum, conſtansquè dicimus Sacramentum; nos veſtrorum (uti jure obſtrictos nos eſſe palàm profitemur) veſtrorum inquam honorum fore Studioſiſſimos; & cùm ob literarum ſtudia honoribus nos ornatos eſſe volueritis, obliteratam nunquam veſtri memoriam geremus. Itaquè nos vobis devinctiſſimos ſuſcipite, & paternè clientes veſtros faventi gremio fovete.

Ad P. M. Sp. D. Promotorem,

D. MARHERR.

SOlemne erat veteribus Romanis fontes coronare: P. M. Sp. & Exc. D. Decane, idémque Promotor ſapientiſſime! ut ſic ſuam gratitudinem indigitarent. Tu fons noſter es, quem nos unanimiter veneramur; nam ex Te rivi honorum hodiè in nos promanant, Tibi in acceptis referimus, quidquid laudis, ac fructûs conſequimur. Nam Tu ad exoptatam votorum metam anhelantes perduxiſti, impenſarum laborum præmia diſtribuiſti, & honorificâ Doctoratûs Laurea nos condecorâſti. Quare cùm noſtrorum grande decus, columénque rerum ſis, quidquid devincti in nobis, obſtrictíque eſſe poteſt animi, id totum in laudum Tuarum conſecramus teſſeram, & honorum perenne monumentum. Suſcipe itaque Promotor ſapientiſſime! noſtrum in Te gratitudinis pignus, quod Tibi pro faventiſſimis in nos gratiis candor noſter conſecrare nos obligat, & ſicut Tu favoribûs effuſiſſimîs hodiè præſidium & dulce decus noſtrum eſſe non recuſâſti, ita Tui honoris & gloriæ obſervantiſſimos juxta ac ſtudioſiſſimos nos fore conſtanter ſpondemus.

Ad D. D. Hoſpites.

D. JUSCHIZ.

NEque Vos demum præterire decet Excellentiſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi ac Ampliſſimi DD. Hoſpites cæteríque ſuis titulis digniſſimi ſpectatores, qui Academicam hanc pompam Veſtrâ cumulare

lare præſentiâ, & qualemcunque hunc, qui hodiè nobis obtigit, honoris gradum exornare dignati eſtis. Plurimas igitur, quas reddere poſſumus, pro benevola hac in loco commoratione grates, animúmque Veſtris devotum obſequiis recipite. Equidem dum feſtiva hac luce in altum ſublati à Veſtris ſpectamur oculis, per oppoſitè in nos cadit illud Eccleſ. 38. v. 5. *Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnorum collocabitur.* Neque etiam conſecrati noſtris honoribus temporibus pœnitere Vos poteſt, illos etenim ſpectâſtis hodie, quos *propter neceſſitatem creavit Altiſſimus* loc. cit. v. 1. Quam quidem ſacrarum etiam litterarum fide confirmatam Medici neceſſitatem, ut idem Altiſſimus à Vobis conſtanter amoveat, maximis precamur votis; quamvis utì Vobis incolumitatem integram, ſtabilémque ſalutem vovemus, ita exoptatam nobismet ipſis felicitatem non expetere non poſſumus; qnòd ſi fortè felicitas noſtra cum Veſtra ſalute conjungi non poſſit, mementote, ex illo nos eſſe genere hominum.

Damna quibus licito ſunt aliena lucro.

O. A. M. D. G.